



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 5. Vtrùm sit obligatio confitendo læthalia in confeßione oblita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

numerus in quavis confessione: * sed non acquiesco, quia determinatio illam excludit. Et multo minus opinioni Vivaldi in *Candelabro Aureo, de confessione, tract. 7. §. 5. Sed dixi, fol. 106.* asserentis, eum qui confessus fuit, centies plus minusve jurasse, verè satisfecisse, nec teneri iterum confiteri, licet postea recorderetur fuisse 200. Quod putat etiam probabile Vericelli: *tom. 1. quæst. mor. tract. 5. q. 6. nu. 23.* Verùm hæc opinio omnino mihi improbabilis est, imò, & quam sequitur ipse Vericelli *tract. 1. quæst. 8.* dicens illa verba plus minusve addere, quoad confessionem, medietatem supra summam expressam, ita ut qui confessus est centum plus minusve, non teneatur iterum confiteri, licet reperiat fuisse centum, & quinquaginta. Sed hæc nullam, ut dixi, probabilitatis speciem habent, quia ex communi modo loquendi, particula adjecta longè minorem summam significat, idèque major ille numerus non clauditur moraliter in illa confessione.

QVÆSTIO VII.

Utrum sit obligatio confitendi lethalia in confessione oblita?

S. PRIMUS.

Singularis sententia refertur, & rejicitur.

REm hanc in dubium revocant, paucis ab hinc annis, recentiores nonnulli adulterantes Concilii Trident. Sanctiones, & Theologorum sententias. Quam propterea in disputationem adducere opere pretium duxi, ut Recentiorum fundamentis exploris, veritas, me iudice, ad fidem pertinens omnino firma, & inconcussa maneat.

1. Igitur doctissimus Leander à Murcia ex Capucinatorum Ordine; apud quem primò in controversiam remissam deductam & typis datam invenio, lib. 2. *disquis. moral. in 1. 2. D. Thom. disp. 4. res. 25.* nonnullos suppresso nomine refert asserentes, neminem teneri confiteri peccata lethalia, quæ ex inadvertentia, seu oblivione in confessione Sacramentali omittit. Cujus delicti fundamenta per extensum ipse proponit, & argumenta communis sententiæ in contrarium dissolvit: & quamvis singularem recentiorum ipse non sequatur; sic illam recitat nu. 9. * De hac opinione vidi ego, dum essem Neapoli tractatum integrum à quodam docto Religioso nostri Ordinis; cui subscripserunt plures quam duodecim viri doctissimi ejusdem Civitatis, & Regni Neapolitani, quorum subscriptiones ego vidi; & postea dum Romæ essem, alius vir doctus de ea me consuluit, ipsamque tanquam verissimam tuebatur. Sic refert Leander à Murcia. Sed tamen ipse, & meritò contra concludit, dicens: * Sed his non obstantibus, hæc opinio nullatenus suscipiendi, aut defendi potest in praxi; tum quia nova, & à nemine hucusque in licentia edita, tum quia contrarium tanquam certum docet communis opinio; tum quia eadem communis tutior omnino est, & totius Ecclesiæ praxi confirmata: tum quia hæc opinio ex aliqua parte (nempe quoad confessionem oblitanam communionem præmittendam) expungi mandata est à sancta Inquisitione, cu-

jus iudicio in rebus fidei, & morum standum est; contrarius non obstantibus quibuscumque. * Hactenus Leander. Apud quem nollem adeò benignam censuram invenisse, cum non solum improbabilis sit, & ut minimum scandalosa (& novissimè, ut talis damnata à Sanctissimo nostro Alexandro VII. die 24. Septemb. anno Domini 1655.) sed, ut ego opinor, erronea.

3. Moveor communi Catholicorum sensu in Trident. expresso *sess. 14. cap. 5.* ubi adeò apertis verbis proponitur, ut mirum sit in mentem viri docti contrariam venire potuisse. Expende Concilii verba definitentis. * Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure Divino necessariam esse. * Et infra. * Cum universi mortalia, etiam cogitationis, homines ita filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione à Deo querere. * Et inferius *can. 8.* * Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut traditionem humanam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus fideles, anathema sit. * Hactenus in Tridentino.

4. Ex quibus sic arguuntur. Omnes Christi fideles tenentur omnia mortalia commissa confiteri, sed qui in aliis confessionibus oblitos est peccati, cujus modò memoriam habet, non est confessus omnia mortalia commissa, ergò tenetur ea, quæ non est confessus, cum eorum memoriam habeat, confiteri. Hæc est conclusio Theologica, ex majore de fide, & ex minori lumine naturæ nota. Est ergò certum teneri confiteri, non minus quam eum, qui debens tantum, sed ex oblivione quinquaginta tantum solvit; teneri postea memoriam ad alia quinquaginta solvenda. Preimo sic: de fide est, omnes Christi fideles teneri * ad omnium peccatorum confessionem, qualem Ecclesia servat. * Sed confessio pñium peccatorum, qualem Ecclesia servat, est, ut oblita, cum in memoriam venerint, omnes confiteantur, ergò de fide est, oblita confitenda, cum in memoriam venerint. Res adeò clara est, & fidei principis innixa; imò & in definitis expressa, ut me iudice, à nullo verè Catholico in dubium verti possit.

S. II.

Eneruantur contrarie sententiæ fundamenta.

Sed, ut dogma istud magis innotescat, diluam sophismata, quibus recentiores, à Leandro memorati, in illum errorem ducti fuerunt. Primum efformant ex verbis Tridentini *sess. 14. citata cap. 5.* asserentis à pñitentibus nil aliud exigere, quam * omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione necesse confiteri. * Quod iterum Concilium exprimit ibidem, dñm ait. * Constat nil aliud à pñitentibus exigere, quam ut postquam quisque diligentius sese excusserit, & conscientie suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum mortaliter offenderit. Ex quibus sic adversarii malè inferunt: Ergò Conciliū docet, pñitentes non debere confiteri illa peccata, quorum post diligentem sui excussionem, conscientiam non habent, seu quibus non memi-

nerint Deum suum graviter offendisse. Futilis illatio, & viro Theologo, imò & Catholico indigna. Distinguo consequens: non debere confiteri, dum conscientiam, seu memoriam illorum non habent, concedo: quando illam habuerint, nego. Et hæc est Catholicorum omnium intelligentia, quia poenitens, cum postea recordatur lethalis non confessi, urgente præcepto annualis confessionis, verè habet conscientiam lethalis commissi, & non confessi, & verè meminit eo peccato Deum suum graviter offendisse, & nunquam in confessione recensisse, nec illius veniam cum aperta, & verè cuncta confessione à Deo quaerisse. Ergò cum de fide sit debere confiteri omnia mortalia, quorum conscientiam habeat, & omnium veniam cum aperta, & verè cuncta confessione à Deo quaerere est, teneri postea peccatum oblitum, cum memoria occurrat, confiteri. Confirmatur: quia, ut omnes etiam adversarii concedunt, & salvà fide inficiari non possunt; poenitens teneretur peccata alia, ex iusta causa in confessione omissa, ea cessante, confiteri, ergò & oblita, cessante oblivione, quia eadem est utriusque ratio.

6. Instant adversarii, diversam esse rationem de peccatis oblitis, ac de aliis, quæ ex iusta causa poenitens non est confessus, quia Concilium de oblitis loquens, sic ait. * Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur. * Id est inquit ipsi pro confessis habentur, ergò cum confessi intelligantur peccata, quæ memoriæ diligenter cogitanti non occurrunt, non tenebuntur postea, etiam memoriæ occurrant, confiteri. Quod inde (subnectunt) magis suaderi videtur, quia Concilium ibi non loquitur de absolutione indirecta, & remissione peccatorum, sed de obligatione confitendi peccata, & de peccatis, quæ quilibet fidelis teneretur confiteri: Ergò ex verbis Concilii, inquit, aperte colligitur, non esse ulterius obligationem confitendi ea lethalia, quæ ex oblivione omissa fuerunt. De aliis verò, quæ ex causa, poenitens memoriam habens non est confessus, nil determinat Concilium.

7. Respondeo primò, non magis certum esse, quod peccata ex oblivione, quam quæcumque alia, ex iusta causa excusante ab integritate materiali confessionis, omissa, in eadem etiam inclusa intelligantur. Et tamen fide sanctum est, manere obligationem ista confitendi, quando urgente præcepto confessionis, causa tacendi cessaverit, eò quod præceptum est confitendi omnia mortalia. Ergò, & illa.

8. Respondeo secundò: Definitionem Concilii procedere contra Hæreticos impiè asserentes confessionem, ut ab Ecclesia præceptam, impossibilem esse, & conscientiarum carnificinam. Quod hoc argumento suadere tentarunt. Ad remissionem peccatorum necessarium est omnia lethalia confiteri: hoc autem impossibile est illi, qui omnium non recordatur; deinde ei, qui aliquod confiteri omittit, nullum remittitur, ergò hoc præceptum (garriebant Hæretici) est de re impossibili, & conscientiarum carnificina. Hanc igitur hæresim, ut extirparet Concilium, duo definit. Primò: præceptum non obligare, nisi ad confessionem peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, atque adeo non esse de re impossibili. Secundò, ad remissionem peccatorum virtute clavium obtinendam, non esse necessariam eorum, quorum quis, post diligentem sui excussionem, non

recordatur, confessionem; atque adeo non esse conscientiarum carnificinam. Falsum enim proinde nullum remitti, quando ex causa, aliquo in confessione omittitur, nam per gratiam Sacramentalis virtute absolutionis obtentam, omnia mortalia, etiam oblita, aut ex iusta causa omissa remittuntur, utpote cum quolibet impossibilem, & laboriosam in eadem confessione quoad effectum remissionis, inclusa intelliguntur: Hoc est, quod intendit Concilium statuere, non quod ulterius obligatio illa confitendi, licet in memoriam venerint, quia de hoc non erat controversia: Verba Concilii sunt: * sed impium est, confessionem, quæ ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, ut carnificinam illam conscientiarum appellare: (attendende causalem) constat enim nil aliud ab Ecclesia poenitentibus exigi, quam ut postquam quique diligentius se excusserit, & c. ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum graviter offendisse meminerit: reliqua autem, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum in eadem confessione inclusa esse intelligantur. * En aperte Concilium ad eliminandam hæresim asserentem confessionem, ut ab Ecclesia præceptam, esse impossibilem, & nullum peccatum remitti, si aliquam memoriam non habeatur, ideò de oblitis specialiter mentionem instituit, ejus tamen ratio, de aliter iusta causa omisis, atque procedit: alia in his argumentum Hæreticorum urgetur. Possent enim illi instaurare in hunc modum. Id possumus, quod præpossumus, ergò qui ex causa aliqua nequitie confiteri aliquod peccatum, nequibit omnia confiteri, & per consequens omnia irremissa manebunt. Hæc recrudescit hæreticorum argumentum, quo confessionem de re impossibili esse, & conscientias potius dilacerare, quam sanare blaterabant. En item prorsus inconveniens sequitur, si peccata, live ex oblivione, live ex iusta causa in confessione omissa, in eadem non intelligantur inclusa. Ergò licet Concilium de oblitis tantum mentionem fecerit, eo quod Hæretici hæc solum peccata in exemplum adducebant, de omnibus æquè definitio procedat, dum declarat, jure Divino integram omnium peccatorum confessionem necessariam esse, & omnes fideles teneri ad omnium mortalium, qualem Ecclesia servat confessionem, Ex quibus aperte constat, Recentiorum sententiam, nullum ab auctoritate Tridentina habere præsidium.

9. Nec à ratione ullum habet, quia ejus per se præcipuum fundamentum desumunt ex opusculis adstruente, peccata in confessione oblita, virtute absolutionis collata, manere directè absoluta; quam novissimè tuetur Leander à Murcia in suo eruditissimo opere supra citato *Disquisit. Moral. lib. 2. disp. 4. solut. 365*. Verum unum Leandrum illam tenentem scito, quia apud alium non inveni; Doctores etiam quos ipse pro se adducit, eam non docent, vel contrariam, vel longè diversam, ut collatis locis demonstrabo.

S. III.

*Fundamentum ab auctoritate petitur, pro
absolutione directa obliuorum, aper-
tissime e-uellitur.*

10. Pro singulari hac sententia refert Leander ubi
supra Pat. Henriquez lib. 1. de Penitent. capit.
3. numer. 8. Sed falsò: quia Pat. Henriquez in hoc
loco de peccatis obliuorum idem docet, ac de aliis, quæ
ex iusta causa in confessione, aut ab inferiore Sa-
cerdote, non habente jurisdictionem absolvuntur;
quorum absolutionem expressè dicit esse indirectam,
quod tam hæc, quam oblita remittantur ratione
absolutionis aliorum, seu ratione gratiæ intuitu con-
fessionis illorum collatæ, quæ cum omnibus incom-
possibilis est. Et idè cessante causa, tradit expressè,
omnia debere in confessione explicari. * Absolu-
tio, inquit, non solum peccata, quæ quis expressè
confiteatur tollit, sed ea, quorum post diligens con-
scientiæ examen, homo oblitus est, vel quæ, causa
excusante, silet, ut ne proximum infamet & tamen
post eum obliuorum sit memor, aut cum cessat
causa, confitenda sunt. Secundò quandoque pec-
cata quæ superiori reservantur, absoluit, urgen-
te causa inferior, cum aliis indirectè, ita tamen,
ut superueniente Prælato sint confitenda, ut di-
rectè absoluantur, infra lib. 3. capit. 15. * Hæc ibi.
Cap. autem 15. citato, quo se remittit, sic scribit.
* A reservatis potest interdum confessorius exposi-
tus absolvere indirectè, si modò confiteatur huic
omnia peccata, tenetur tamen sic absolutus statim
presentari Superiori, & jure Divino tenetur huic, aut
cui commiserit, iterum confiteri reservata, ut ab
illis directè absolvat, nec enim potuit inferior ab-
solvere, nisi indirectè cum tali onere. *

11. Ex quibus sic conficio argumentum. Hen-
riquez primo loco supra citato, solum dicit ab-
solutioem tollere etiam peccata oblita, & ea quæ
homo ex causa silet. Sed hæc non tollit directè,
ergò neque illa. In secundo verò loco, (& etiam
in primo) ubi de reservatis inferiori Sacerdoti
confessio loquitur, expressè dicit, illa absolvi
indirectè, ergò ex verbis Pat. Henriquez, nullum
pro absolutione directa obliuorum fundamentum
desumi potest. Imò addo absolutionem indirec-
tam ex illis aperte convinci. Nam si quis confi-
teretur Sacerdoti inferiori bonâ fide lethalia non
reservata, & simul reservata aliqua, quæ memo-
riæ occurrerint, omisis aliis ex oblivione, non al-
liter, nec magis ab obliu reservatis absolutus ma-
neret, quam à reservatis, quæ confessus fuit: sed
ab his, dicit Henriquez, absolvi indirectè, ergò
& ab aliis quorum fuit oblitus. Consequentia
est evidens, quia imperceptibile est, quòd absolutio
cadat directè super reservata oblita, & indirectè su-
pra expressa.

12. Adducit secundò Leander pro absolutione
directa obliuorum eundem Pat. Henriquez lib. 3.
capit. 16. & plures ab hoc Doctore ibidem citatos:
verba Leandri sunt * verum Navarrus, Paludanus,
Gabriel, Adrianus, Canus, Ledesma, Angles, An-
toninus, Sylvester, Armilla, Angelus, Gersoni,
Covarrub. Corduba, Penna, Gallo, Guevara, Ro-
sella, Manuel, Rodriguez, quos refert, citat, &

sequitur Henriquez de Sacrament. Penitent. lib. 3.
capit. 16. numer. 8. & ibi in Comment. lit. D. docent
absolutionem ab obliu esse directam, & peccata ipsa
oblita, directè fuisse clavibus subiecta. * Hæc Leander.
Sed ejus venia, neque hoc ibi tradit Hen-
riquez, neque author ullus ex citatis, sed illos pro
longè diversâ opinione refert. Pro illa nimirum,
quam communiter docent Doctores, scilicet, eum
qui tempore jubilei confitetur Superiori, (seu al-
teri habenti facultatem absolvendi) ipso facto ab
excommunicatione, & à reservatione liberum ma-
nere, quamvis confessionem invalidam fecerit ex
defectu doloris, vel integritatis, quia à prædictis
excommunicationis, & reservationis pœnis directè
absolvitur à confessario habente jurisdictionem, etsi
à peccatis tam confessis, quam obliu, nec directè,
nec indirectè maneat absolutus, cum fuerit invali-
da confessio. En Pat. Henriquez verba loco, & ca-
pite à Leandro citatis. * Durante Jubilei tempore,
si quis animum habeat præstandi, & supplendi ne-
cessaria, licet in contriti, vel etiam dimidiatè, præ-
pudore, à principio confiteatur, absolvitur di-
rectè ab excommunicatione, & à reservatione pec-
cati etiam obliu. * Hæc Henriquez, qui pro hac o-
pinione in Gloss. lit. D. refert Authores, quos recen-
set Leander ubi supra: nullus verò dicit peniten-
tiam manere directè absolutum à peccatis obliu;
imò neque à confessis, (si confessio, ut ponimus,
invalida fuit) sed solum à pœnis excommunicatio-
nis, & reservationis, quia has intendit confessarius
tollere; vult enim in quantum potest eum liberum
relinquere ab excommunicatione, & ab onere com-
pendi coram Superiore, ut possit confessario in-
feriori peccata, usque ad illud tempus commissæ
confiteri. Et hoc præstat absolutio illa, licet con-
fessio sit invalida, & per consequens, nec directè,
nec indirectè fuerit à peccatis absolutus. Nullibi
ergò docet Henriquez, quod peccata in confessione
oblita directè absolvantur, nec ad tam singularem o-
pinionem ei attribuendam, ullum fundamentum
præbuit.

13. Adducit insuper Leander pro hac opi-
nionem Joannem Valerum in Different. utriusque
fori, verbo, Nullitas, different. 5. & quoad speciem,
& corticem verborum, bene quidem, quia in e-
ditione, quæ communiter præ manibus habe-
tur, sic ait. * Ego puto probabile esse, talia pecca-
ta oblita, (cum jam sint directè absoluta in pri-
ma confessione) posse postea absolvi à quocum-
que etiam non exposito, seu approbato. * Hæc
Valerus. Quibus verbis (ait Leander) dicit
esse probabilem, & ut talem amplectitur opinio-
nem asserentem peccata oblita manere directè ab-
soluta in prima aliorum confessione. Verum Joan-
nes Valerus ibi de hac re non agit, sed quæstio-
nem aliam longè diversam exagitat; an scilicet
Sacerdos non approbatus, sicut potest absolvere à
venialibus, possit etiam à mortalibus in confes-
sione obliu. Et partem affirmativam dicit esse
probabilem, cujus rationem obiter, in parentesi
posuit, dicens: * Cum jam sint directè absoluta
in prima confessione. * Sed quidem, ut bene no-
tavit Thomas Hurtado tom. 2. variar. resolut. tractat.
12. capit. 1. dubit. 6. numer. 2081. * Forsan voluit
dicere indirectè. * Quod ego omnino certum pu-
to, quia incredibile est, quod tam singularem
doctrinam, quæ non indigebat, ad suam conclu-
sionem, & quam nullus usque ad hæc tempora
in dif-

in disputationem adduxit, ut principium inconcussum supponeret, ut inde, quam intendebat opinionem probabilem esse, suaderet. Quapropter dicendum est per errorem Typographi, vel Amanuensis scriptum fuisse Ly * directè * pro indirectè. Quod in originali author habebat. Et ideo pro hac parte citat Valerum Machad. tom. 1. lib. 1. part. 1. tract. 2. diff. 3. numer. 4. * Es tambien, inquit, muy probable, que no solamente de los pecados veniales, y mortales ya confessados, sino de los mortales olvidados en otras confesiones, puede absolver qualquiera simple Sacerdote, porque semejantes peccados (atende) estan indirectamente absueltos en las demas confesiones (& in margine) tenet Valerius in different. utr. fori. verb. nullitas, diff. 5. numer. 3. * Hæc Machado, qui ut patet pro absolutione indirecta oblitum refert Valerium, & in ea uterque suam opinionem fundat, unde constat malè pro parte contraria à Leandro de Murcia referri ubi supra, resol. 18. cum potius Typographi errorem advertere, quam illo ad suam causam abuti, debuisset.

14. Denique ad hominem contra Leandrum ex ipsius principis demonstro, peccata in confessione oblita non manere directè absoluta. Ipse enim in eodem opere *Disquis. Moral. lib. 1. disp. unic. resol. 9. numer. 11.* ad probandum peccata sub dubio confessa, debere iterum, cum memorie, ut certa occurrant, in confessione, ut talia explicari, eo nititur, quod non fuerint directè absoluta: Sic enim arguit. * Si simul cum certo peccato, illud dubium, & incertum confiteatur, (atende) jam directè non absolvitur ab illo penitens, sed indirectè ratione peccati certi, quod confessus est, & ideo illud peccatum non est directè subiectum clavibus Ecclesiae: * Sicille. In quibus duo expendo. Primo, quod in hoc loco pro eodem videtur usurpare peccatum esse directè absolutum, ac non esse obligationem iterum confitendi, cum tamen aliunde totus sit in probando, peccata oblita esse directè absoluta: unde horribilis illa consequentia, scilicet, non esse obligationem confitendi peccata oblita (quam ipse non admittit) evidenter deducitur. Secundo, quod peccata sub dubio confessa, non absolvi directè, eo quod ratione oblitum non fuerint subiecta, ut certa, & determinata. Ex quibus modis sic: sed peccata, quæ ex omni modo in confessione omissa fuerint, non fuerint confessa, ut certa, & determinata, jam directè non absolvitur ab illis penitens, sed indirectè ratione peccati certi, quod confessus est. * Recognosce tuam consequentiam.

§. IV.

Objectionibus fit satis.

15. **O**bjicit Leander: Intentio Sacerdotis est absolvere ab omnibus peccatis in seipsis, & verba absolutionis: *Absolve te à peccatis tuis*, extenduntur ad oblita, & directè in illa tendunt, quia infinita propositio, sumitur pro universalis, ac proinde æquivalere huic: *Absolve te ab omnibus peccatis tuis*. Ergo peccata oblita manent directè absoluta. Respondeo primò retorquendo argumentum; in peccatis sub dubio confessis, quæ tamen ipse Leander concedit, non manere directè absoluta, ut nuper vidimus. Deinde in peccatis, quæ ex iusta causa in confessione omittuntur, quæ non manere directè absoluta in concussum est apud omnes, ergo verba absolutionis, licet infinitam propositionem, & universalem æquivalentem constituent, non respiciunt directè omnia peccata, sed ea solum, quæ clavis subijciuntur. Ergo non extenduntur directè ad oblita, nec in illa directè tendunt. Quid adhuc?

16. Respondeo secundò: de ratione iudicij esse, quod causâ cognita à legitimo iudice sententia proferatur, & ideo peccatum esse directè absolutum, duo necessario importat, & quod fuerit clavibus subiectum; & quod confessor habuerit jurisdictionem ad absolvendum ab illis. Unde quovis deficiente, dicitur indirectè absolute. Atque adeo quoties ex oblivione, vel ex iusta causa peccatum aliquod mortale in confessione omittitur, vel licet exprimitur, non habet confessor jurisdictionem ad absolvendum ab illis, sed ab aliis, quæ simul penitens confitetur, in tali casu peccata oblita, vel ex iusta causa omissa, vel non habenti jurisdictionem confessor, absolvuntur indirectè, quia remittuntur ratione confessionis aliorum, quæ penitens confitetur, & ad quæ jurisdictionis Sacerdotis extenditur. Ex quibus aperte colligitur, absolutionem esse directam, vel indirectam, non dependere à intentione Sacerdotis, sed ex jurisdictione circa peccata subiecta, & ex confessione peccatorum, quæ in illo absolvenda proponantur: hæc enim tantummodo absolvuntur directè, reliqua verò sicut remittuntur ratione aliorum, nempe ratione gratiarum absolutionis aliorum collatarum, utpote cum omnibus impossibilibus; ita & ratione aliorum absolvuntur, atque adeo indirectè.

17. En, amice Lector, omnino ditata fundamenta, quibus Recentiores illi præcipue nituntur, ad asserendum non esse obligationem confitendi peccata oblita, quæ si quid probarent, plene evincerent, nec esse obligationem confitendi peccata, quæ ex iusta causa in confessione fuerint omissa: æquæ enim omnia remissa manent, & indirectè absoluta. Unde huic principio nemo innitipote ad tollendam obligationem confitendi peccata oblita.

18. Addo nec sufficere illa consuetudinem Sacerdotum non approbato (quidquid dixerint Valerius, & Machado sive Delgadillo de Penitent. capit. 19. diff. 13. numer. 41. & alii) quia absolutio indirecta non minuit obligationem penitentis, nec vim restitutionis, alias, utcumque peccata lethalia, etiam heresis, ex oblivione omissa, aut ex causa legitima, possent postea à simplici Sacerdote absolvi, quod evidenter falsum est, & quod ni fallor, Authores citati devorare non audebunt. Ergo peccata esse indirectè absoluta, non efficit, quod possint deinceps non habente jurisdictionem, seu à simplici Sacerdote absolvi. Et ratio est, quia dum manent materia necessaria confessionis, necessario requiritur absolutio approbatio, & jurisdictionis in confessione, ut constet ex Trident. sess. 14. capit. 7. Atqui peccata indirectè absoluta, semper manent materia necessaria confessionis, cum sit obligatio sub lethali ea confitendi, ut fide sanctum est, ergo Sacerdos simplex non approbatus ab Ordinario, & non habens in talia peccata jurisdictionem, nequibit ab illis absolvere.

19. Quanta autem certitudine hoc tenendum sit lege Tridentin. ubi supra sic decernens, * Peccata semper

semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodum hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. * Vide etiam sess. 23. capit. 15. de reformatione. Ubi: * Decernit sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat. * Quæ directè comprehendere omnes confessiones mortalium, quæ materia necessaria confessionis sunt, seu omnia mortalia ex obligatione confitenda, universa Ecclesia semper intellexit. Idem cum nullum sit fundamentum ad excipiendam confessionem peccati oblii, potius quam aliorum, quæ ex iusta causa fuerunt omiffa, aut quæ Sacerdoti non habenti jurisdictionem confessa sunt (simul cum aliis non reservatis) cum omnia indirectè absoluta sint, nequit probabilitatem ullam sortiri opinio Joannis Valeri pro peccatis obliis. Et me iudice, aut de obliis negandum, aut pro omnibus indirectè absolutis concedendum. Nam ubi est eadem formalis ratio, idem formaliter concludere necessum est: ergo si mortalia oblii, quia indirectè sunt absoluta, possunt deinceps à simplici Sacerdote non approbato, & non habente in illa jurisdictionem, directè absolvi, reliqua etiam ex iusta causa omiffa propter eandem rationem ab eodem Sacerdote absolvi poterunt. Quod concedere nefas est. Quapropter fatendum est, ex absolutione indirecta nil posse concludi pro valore absolutionis lethalium à simplici Sacerdote collate, ut malè cum Valero Doctores citari intulerunt.

S. V.

Confessarium.

20. An verò ex absolutione directa alicujus peccati, rectè deducatur non esse obligationem illud confitendi? Magis controversum est. Video plures Doctores legitimam consequentiam existimare, cui principio innixi docent, eum qui sub dubio aliquod peccatum confessus est, non teneri postea dubio cessante, ut certum confiteri, quia jam est ab illo directè absolutus. Pro qua adduximus supra quæst. 6. Pellazarium, Tamburinum, Metellam, Leandrum à Sacrament. Martinum à S. Joseph. Marcum Vidal, Caramuelem, Verricelli, Rotellam, Sebastianum Sachum, Christophorum Delgadillo, & Ferrantinum. Qui omnes, vel id timentur, vel saltem probabile dicunt. Quod suo calculo firmarunt recentiores, quos suppresso nomine refert Leander à Murcia, dum hoc principio, (licet falsò applicato) probare contendunt, non esse obligationem confitendi peccata oblii.

21. Ceterum ego præfactum principium nunquam probavi, & contra illud multis egi, ubi supra. Et clarè determinari oppositum in Concilio sess. 14. capite. 5. dicit Thom. Hurtado tom. 2. tractat. 12. capit. 1. nam. 2091. Quod licet ab auctoritate clarum non sit, à ratione tamen sic ostendo. Si quis in casu urgentissimæ necessitatis, in qua ex causa, nec species, nec numerum peccatorum confiteri posset, se in genere accusaret, dicens: peccasse mortaliter: posset à confessario absolvi, ut docent

Part. II.

communiter Theologi, & ab omnibus lethalibus, maneret in tali casu absolutus, & ab omnibus directè, quia absolvi indirectè ab aliquo peccato non contingit, nisi aliud sit, à quo directè absolvatur, ratione cujus ab alio dicatur indirectè absolvi. In præfato autem casu, cum nullum in particulari subiciatur clavibus, sed omnia æqualiter, & confusè, omnia æqualiter absolverentur, ac proinde omnia directè: nam cum non absolvatur unum, ratione alterius, nec sit major ratio, ut absolutio cadat directè super unum, quam supra aliud, omnia directè absolvi, & remitti dicendum erit: & tamen, quia non sunt explicite dicta in confessione, manet obligatio postea confitendi, ergo quod peccata sint directè absoluta, non infert, non debere iterum in confessione explicari.

22. Undè concluditur, quod licet daremus adversariis, peccata oblii manere directè absoluta in prima confessione, non idem cogeremur concedere, non esse obligationem illa confitendi, dum memorie occurrant: Sicut nec concedit Leander à Murcia ubi supra, sed absolutionem directam admittens, obligationem confitendi non negat, judicans & meritò, consequentiam non esse legitimam, ab affirmata absolutione directà, ad negatam obligationem confitendi. Qui verò contra senserint, nullatenus admittere poterunt peccata oblii (sicut nec alia ex iusta causa omiffa) manere directè absoluta, ut potè principium, ex quo improbabilis, scandalosa, imò & erronea consequentia deducitur.

23. Dices: Si peccata essent directè absoluta, & remissa in præcedenti confessione, ad quid essent iterum confitenda? Non ad absolutionem directam, quia supponimus fuisse directè absoluta non ut poenitens det confessario notitiam peccati, quia talis notitia debet esse in ordine ad absolutionem, quæ jam non indiget, cum sit directè absolutus, ergo repugnat, quod quis obtinuerit absolutionem directam alicujus peccati, & quod teneatur ad iudicium illud deferre. Respondet Magist. Paulus de Blanchis Dominicanus in discept. casuum conscientie disput. 4. in litt. C. casu 5. dub. 2. fol. 226. §. Theologus. * Quod poenitens tenetur confiteri oblii, dum in memoriam venerint, ut Sacerdos pro illis assignare possit poenitentiam satisfactoriam, & de novo ab illis absolvat, ut tutior sit in conscientia. * Sed contra, primò, quia poenitens (ut hic Author tradit ibidem, fol. 223. §. tertia pars Sacramenti, & docent doctissimi Thomistæ, quos refero in Opusculo pro Iesuistis, tr. de Poenit. Prop. 5. (licet ipsis omnino dissensiam) non tenetur acceptare poenitentiam (saltem sub lethali,) ergo ex hoc capite non tenebitur sub lethali ad confitenda oblii. Contra secundò, quia virtute absolutionis, ex confessione aliorum, tutus omnino est in conscientia, quod remissa sint. Ergo si aliud non sit caput obligationis deferendi ad iudicium peccata directè absoluta, non erit obligatio saltem gravis confitendi oblii, quod erroneum est.

24. Respondeo ergo, dicendum, omnia peccata secundum speciem, & numerum, quibus poenitens Deum suum graviter offendisse meminerit, debere ex præcepto Divino in confessione explicari. Cum autem huic præcepto non satisfecerit, qui peccata, quorum modò meminit, non est confessus; vel quia in prima confessione oblii fuit, vel quia secundum speciem, & numerum, ex iusta causa, explicare non potuit; sit planum, debere iterum ad iudicium

Z

